non omnium hodie mortalium imbecillitas, idonea
æstimatrix est. Si quod cecineris, dictum putant; si quid
dixeris assertum et propugnandum; quod a me adeo est
remotum ut ne Poetas quidem habendos existimem
qui serio versificantur. quid ais Amice, fidem haberi
credis, aut habes ipse præconijs sesquipedalibus, quibus
cum fert occasio, aut torques trahit totam Pindi Majes
tatem profundes in unum Regis aut subditi θνητὸν
κάρα? Ergo lusus est et jocus in quo versamur; qui secus
æstimat, sæpe fit, suâ culpâ ut vapulet, aut sibi manis
sit non suâ laude. Interea vir optime non ignarum
quibuscum ingeniis committamur, postquam te Hoofdi
ista et Vicafortij et Vossij et Vondelij solum inquam
te τῇ λάθρα perlegentem audierint, serio rogo et obtestor
et pro amicitia autoritate jubeo, autographa statim
ut remittas, ne exemplorum quidem copiâ cuiquam
factâ, plane ut videam amici non placere τὴν ἀνιαρὸν
σκῶψιν, cratibus capitique (ut est apud Comicum) frau
dem creare capitalem innocenti Poetæ. Comparatio-
num gradus cesso a te petere, nisi modum adhibes quem
præscripsi, et mixta bonis mala nigro θ confodias.
Vale Doct~~orum~~ amicissime, et brevi et frequenter scribe
hac enim cohæremus, neque est inter magnas et assi
duas occupationes quo magis recreer. In Castris Bod
bergj: Cal. Sext: CIↃIↃCXLII.

confidentissime ut vides
Tuus.

Cartesii meditationes metaphysicas
accurate nunc editas, cum objectionibus
doctorum, et autoris solutionibus, quin
tandem videris non ambigo: si autem
perviderís, magnopere a te peto, ut perscribas
quid in universum de opere sentias.

(334)

Bannio.

Qui tuus candor est atque humanitas, non ambiges me
verum dicere, cum in procincto stantem affirmabo per
ingentem occupationum molem nequisse quod nunc
facio, senso spirituque sedato gratiam referre, quam
pro Indice opusculi Musici prodromo hactenus debeo, maxi
mam et singularem. Sane perjucundum fuit in
ante cessum scire, quibus me quantique ferentis
excepturus

excepturus sis. sed si totam mihi Batavam libertatem indulges, patere rogari, ut quæ vernaculo sermone capita recensuisti, nunc etiam Latino referas, qualia ni fallor, in Archetypo habebas. dignus eruditione tuâ atque incomparabili solertiâ conatus est, patrii sermonis ubertatem asserere quâ illum hactenus vix usurpavimus nisi exoticæ barbariei ineptissimâ, quia ne quidem necessariâ mixturâ. At verò dum tyronem me habes novæ atque inauditæ disciplinæ, prona mihi et aperta artis vocabula in limine sibi postulo; indiculo si placet operi prævio, quales in re militari hodiernâ Grotius Heinsiusque latinos. Stevinus Belgicos in Mathematica non semel præmisere. Commodum interim vernaculorum integram, ubi commodum erit, versionem expectabo. quam cum ad manum esse, ut dicebam, Harlemi viderim, audacius priori beneficio subjungi peto. Vini Rhenani adultioris et nunc de gente Flaviâ, quali te delectari fassus es, cadulum, unà cum hisce è penu meo trasmittendum, quæso te gratum et acceptum habeas, ab amicâ manu. Conducet renouandæ nonnunquam memoriæ ~~..~~ nostri sæpius diluendæ, qui effræni libertate frequentibus molestijs quotidiè graves sumus. Vale vir præstantissime et me ama. Bodbergæ in Castris Postrid: Calend: Quintil: CIƆIƆCXLII.

Integerrimo affectu tuus

S.

Cognatiſſo Vromio mirum est quid acciderit, quod fidem Principi de picturâ adumbratiunculâ Harlemi datam hactenus liberare negligat.

Heinsio.

Nobilissime ac Doctissime Domine (335).

Quod Meelfuhreri Grammaticam ab Amplissimo De-Dieu commodato nactus. eandem a te non tam petere, quam expectare ausus sum, unà cum judicio ~~tuo~~, quod ultrò tu pollicitus offerebas, argumento sit, quanto plus in te licere mihi existimem, quam in tui ordinis quemcunque. et quod cum onere restituendi ab alijs possideo, a te oblatum vir Amicissime, eâdem libertate vindicari posse, quâ te in re omni, meâ versari velim. quâ te

fiduciâ

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 119rv
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3044